

Philos 1692.

DISSERTATIONIS PHILOSOPHICAE  
DE  
VERO REVELATIONIS  
FUNDAMENTO  
PARS I.

---

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICEN-  
TISSIMO SERENISSIMO PRINCIPE  
AC DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE ET WESTPHALIAE ETC.

EXIGENTIBVS STATVTIS ACADEMICIS

D. XXIV AVG. MDCCXCII.

*PRO VENIA DOCENDI LEGITIME  
IMPETRANDA*

PVBlice DEFENDET

M. FRIDERICVS IMMANVEL  
NIETHAMMER

WIRTEMBERGA - BEILSTEINENSIS

ORD. PHILOS. ADIVNCT. DESIGN.

RESPONDENTE

FRIDERICO LEBERECHE HEDERICH  
VIMARIENSI.

---

I E N A E,  
APVD C. H. CVNONIS HAERED.



---

## P R A E F A T I O

**I**nde ab initio in omni de notione revelationis instituta disquisitione ad nostros usque dies, nunquam non de ejus veritate, notione, principiis dubitatum fuit atque disceptatum; de qua dimicantes in duas partes divisi, argumentorum vi et pondere aequalium pari copia instructi, sententias plane diversas pari successu defendebant. Ab utraque parte in auxilium vocata Philosophia, utramque auxilii expertem reliquit. Quae controversia quare integra relicta sit, in eo aperte videmus situm esse, quod — cum totum philosophiae de revelatione systema falso fundamento esset superstructum, de quo, num vera sit num falsa revelationis discipli-

na, perfici non poterat — omnis rei perficiendae opera in eo versabatur, hujus fundamenti veritatem aut defendendi aut oppugnandi. Quamquam quid ea commemoramus, quae religionis et philosophiae historia satis docet? Etenim quis fuit philosophiae cum religione revelata nexus? quis ejus fructus? Vidimus magnam, philosophiae cum religione revelata institutarum, Harmoniarum Consensuumve copiam. Ecquid eo profectum est? Omnis philosophantium Theologorum opera eo tendebat, ut notionem *ejus*, quod *supra naturam est*, ex principiis philosophiae theoreticis derivarent, demonstrarentque. Neque quicquam aliud ea disquisitione continebatur. Omnem religionis revelatae veritatem e veritate factorum metientibus omnis caussa in demonstranda horum veritate erat ponenda. Haec igitur fuit arx caussae, huc potissimum conversa defensorum arma, adversariorumque tela. Sed quidquid de revelatione commentata fuerit adhuc philosophia, commentaturave sit: quousque ad hunc tantum finem tendebat, omnis componendae litis spes fuit irrita. Revolutiones enim, re-

forma-

formationes, instaurationes systematum, quamquam omnem subinde orbem theologicum turbabant, nullum plane nec spei nec metus justum objectum poterant praebere. Neque novissima etiam, omnium memoratu dignissima philosophiae instauratione — per novam, *naturalem* quidem sed *divinam* certe, *revelationem* facta — *Kantiana*, defensoribus adversariisque revelationis vel sperandi vel metuendi causam majorem debebat excitare. Nec accommodatio principiorum *cognoscendi* ad cognoscendam factis adfirmatam revelationis veritatem, nec comparatio argumenti moralis cum Morali novae philosophiae, ad dirimendam litem quidquam potuit conficere. Eadem fuit, quam et de omnibus superioribus philosophiae reformationibus accepimus, caussae adjudicatio, ut rationes et argumenta ab utraque parte prolata, essent aequalia, et, verumne sit nec ne unicum (quod putabant) revelationis fundamentum, ex principiis *cognoscendi* petatum, judicari non posset.

Re ita comparata supervenit iste, de quo nos potissimum agimus, disciplinae revelationis instaurator, qui

in libro: *Versuch einer Kritik aller Offenbarung* in scripto, nuperrime in lucem edito, novum hujus disciplinae et unice verum fundamentum constituit. Cujus in regno veritatis memorabilissimi eventus tantum mihi visum fuit momentum, ut quod gravius atque temporis magis consentaneum disputationis meae argumentum eligerem, invenire non possem. Quod si vel id unicum his a me scriptis efficiam, ut rei tanti momenti publice tractandae occasionem offeram, haud plane nullius fructus meam operam fuisse censebo. Illud igitur potissimum mihi fuit consilium: novum in libro allegato traditum revelationis fundamentum delineatione summaria in brevi quasi tabula adumbrandi. De vero autem — quod hoc omnino mihi visum est — revelationis fundamento commentaturus, de eo, cui adhuc fuit superstructa revelationis disciplina, fundamento, nonnulla praemittere, meo scopo plane consentaneum arbitrabor, quo magis elucescat, cum quodnam fuerit controversiae adhuc injudicatae vera causa, tum quam fuerit nova haec totius disciplinae reformatio necessaria.

SECTIO

## SECTIO PRIMA.

### I. Quomodo orta sit Revelationis notio.

Notionem revelationis primis populorum temporibus ortam, ex usu intellectus experientiae institutione plane destituti gigni videmus. Imperitis ignarisque, cum neque leges sensus interni neque eas sensus externi noscant, experientia tum externa tum interna exhibet phaenomena, quorum et causas et leges ignorent. Cum tamen primaria humani intellectus forma adducti cum quovis effectu causam cogitando jungere cogantur, naturalem autem horum effectuum causam invenire nesciant, statim eam in regnum intelligibile transpouunt, et cum quaevis alia, praeter summam et ultimam, causa in hoc regno ignota nobis sit, effectus, cujus causam non intra regionem naturae intuentur, ad hanc summam causam immediate referunt, quam *Dei* nomine venerantur. Quod vis igitur experientiae *externae* phaenomenon, cujus causam in ipsorum naturae notitia haud inveniant, ipsis est a

Deo effectum; quodvis experientiae internae phaenomenon, cujus causam ignorant, a Deo immediate proficisci, et cum ortum ideae, cujus consciis sibi fiant, non intelligunt, a Deo excitatam credunt. In quovis igitur naturae phaenomeno novo ipsis et inusitato Deum vident auctorem, qui ipsis hac ratione se manifestet, atque *revelationis* nomine appellant innumeros naturae eventus, quorum causae ab angustiis experientiae ipsorum terminis sunt alienae. Ex quo apparet, fontem, ex quo genesis notionis de *revelatione* derivanda sit, altera ex parte in ipsa primaria rationis humanae forma, quemvis effectum cum causa cogitatione necessaria conjungentis, ex altera autem in inscitia legum, quoad phaenomena experientiae externae, physicarum, quoad phaenomena experientiae internae, psychologiarum, quaerendum esse.

In crescente inde paullatim naturae tum externae tum internae notitia, cum veras rerum causas cognoscere, et quae antea a Deo immediate effecta putaverant ex causalitate naturae derivare discerent, atque ipsa experientia, sensim sensimque revelationum

num copiam diminuente, edocerentur: minime omnia quorum causas proximas nesciamus, ab immediata Dei causalitate derivanda esse: — nonne erat sperandi locus, eos ipsam hanc experientiam ad ceteras hujus generis perceptiones ita translaturus, ut inde concluderent: neque reliqua phaenomena, quorum causas proximas ignorent, ab immediata Dei causalitate esse repetenda? Neque tamen hoc factum esse videmus, eandem potius in judicando de phaenomenis insolitis methodum secutos esse cernimus. Quod quidem non est, quod valde miremur, cum ex iisdem causis idem semper effectus sint exspectandi. Cognitio naturae ulterius provecta cum ad explicanda omnia naturae phaenomena nondum sufficiat, intellectus vero causam effectui cogitando non possit non jungere: cum quovis eventu insolito, cujus causa proxima ignoratur, causa remotior vel ignota cogitatione conjungenda est, atque hac via revelationis idea excitatur. Sic exculta naturae cognitione numerus quidem revelationum decrevit, sed ut ipsa revelationis veritas hac observatione dubia redderetur, tantum ab-

fuit; ut eo certior potius fieret, quo plura ex naturae legibus antea inexplicabilia atque a viribus natura superioribus derivata phaenomena, illustratione psychologicarum physicarumve legum explicari possent. Veritas igitur revelationis, seu manifestationis Dei per phaenomena externae internaeve experientiae, ita maxime affirmatur, quo rectior naturae cognitio phaenomenorum inexplicabilium numerum comminuit. Continuata enim (sic visum est multis) per tantum temporis spatium, tot tantisque observationibus amplificata, naturae scientia, tanto majori fiducia, quid viribus naturae effici possit, quid eas superet, contendere licebit.

## II. De notione Revelationis in genere.

Revelationis notione comprehendimus in genere *manifestationem* alicujus rei; quo significato notionis generalissimo assumpto revelationem etiam possumus nominare quamcumque acceptam ab objecto externo repraesentationis materiam, qua objectum nobis *manifestatur*. Hoc sensu revelationis verbum intelligendum censeo in loco

loco scriptoris celeberrimi: \*) „Durch den Glauben wissen wir: das wir einen Körper haben, und das auſser uns andre Körper und andre denkende Wesen vorhanden sind. Eine wahrhafte wundervolle Offenbarung!“ Sed hic non is est, quem intelligimus, sensus, cum revelationis notione utimur; Comprehendimus enim ea simul manifestantem Deum, atque dicimus revelationem sensu angustiori: *manifestationem divinam*. Quoniam vero omnis nostrae cognitionis, et materiam et formam, ad Deum referimus, et quicquid scimus, per Deum nosse profiteamur; cum etiam ea, quae intellectu praestantissimorum hominum ratiocinando, perscrutando, divinando, inventa sunt, a Deo his hominibus intermediis nobis tradita esse dicamus: etiam hanc revelationis definitionem justo latiore esse facile apparet. Cum haec autem manifestatio divina sit *mediata*, differentiae specificae notam in notione manifestationis *immediatae* invenimus. Videmur itaque justam revelationis definitionem eam posse conficere, qua intelligamus: *mani-*

\*) F. H. Jacobi, Briefe über die Lehre des Spinoza, S. 216.

*manifestationem a Deo immediate factam.* Dicitur autem Deus etiam immediate manifestari eventibus naturae, quos naturae viribus superiores esse credimus; adeoque hi eventus etiam, *miraculorum* nomine designati, revelationes adpellari possunt. Quae miracula cum sint medium, quo de argumento revelationis certiores fiamus, ipsa revelationis nomine non possunt comprehendi. Strictiore itaque revelationis notione intelligimus *institutionem, a Deo immediate nobis traditam.*

### III. De Argumento Revelationis.

Institutionem igitur a Deo immediate nobis traditam cum revelationem nominemus, omnes, de iis quae sint revelata, quaestio eo redit: qua nota agnoscamus, doctrinam aliquam a Deo immediate traditam esse? et, si qua nota immediatam alicujus doctrinae originem divinam cognoverimus, eam tanquam revelationem accipiamus necesse est. Cum itaque divinae originis nota non ex argumento doctrinae sed ex signo aliquo externo repetatur; quid revelatio continere, qualem doctrinam tradere possit,

sit, nota interna non est, quae id evincat; atque argumenti revelationis neque formam neque materiam definire possumus.

1. *Formam* quidem definiri non posse ex eo adparet, quod confiteri nos oportet, ad *qualemcunque* doctrinam nota divinitatis externa illa instructam pro divina accipiendam nos obligari. Simulac concesserimus, facta illa, quibus divinae originis veritas struatur, a Deo immediate hujus dogmatis constituendi causa edita esse: atque nobismet ipsis haud constaremus, divinitatem illius dogmatis non agnoscentes. Rationis igitur in dijudicanda revelatione potestas ultra fines legitimos extenditur, quoties argumenti dijudicandi jus sibi sumit, cum de eo tantum ipsi liceat justum ferre judicium, an adsit necessaria divinitatis nota. Qua sententia lata argumentum doctrinae ipsum tanquam effatum divinum agnoscatur necesse est; et quomodo audeat, dijudicare effatum, quod omni dijudicatione rationis debiliore majus esse haud potest diffiteri? Dei autem effata vera sunt, et sapientia, et justa; quodsi igitur doctrina aliqua a Deo effata est, veram eam et sapientem et ju-

justam esse per se sequitur; neque valet ea dubitatio, quam ratio ex argumento illius haurit, nec veram nec sapientem, nec justam eam censens. — Spiritualia spiritualiter sunt dijudicanda.

2, Neque *materia* argumenti justa deductione ex notione revelationis his principiis superstructa finiri potest. Cum divinae sapientiae in instituenda revelatione consilium perscrutare nequeamus; quae nobis tradenda Numini visa sint, quomodo divinaremus? Revelabit certe Deus, quae bona, et salutaria et summo illius de hominibus consilio consentanea sint — sed quaenam haec? An ea, quae nos bona, et salutaria et ad summum Dei de hominibus consilium apta et idonea esse arbitramur? Novimusne hoc Dei consilium? an tribuimus tantum Deo, quod nos cogitamus, summum atque optimum consilium? Quo jure contendamus; illud ipsum a nobis cogitatum consilium, Dei consilium esse; nonne iste, quem summum omnis sapientiae fontem intelligimus, sublimius nostro consilium nosse possibile est? Cum igitur consilium Dei nobis

nobis haud innotuisse fatendum sit, quae ad perficiendum illud media sint adhibenda, haud poterimus definire. — At enim si vel concesserimus, eundem quem nos, lege rationis nostrae practicae edocti, novimus entium rationalium finem, etiam Deum sibi habere propositum: quomodo liceat nobis, huius finis assequendi media Deo praescribere? Quo jure asseramus, institutionem a Deo immediate nobis traditam non nisi ad religionem posse spectare. Moralem hominis perfectionem qua ratione Deus adjuvare constituerit, nos statuere haud possumus; sed hoc certe indubium est, moralem perfectionem etiam theoreticae cognitionis amplificatione posse adjuvari. Rudes et omnium rerum inscii homines, phantasiae visis intemperatis intellectusque erroribus obruti, qua via ad eum Autosynidescos gradum evehantur, quo rationis suae potestatem legislatoriam agnoscant, et suae ipsius legi obedientes ad unice veram moralem perfectionem excolantur? Anne igitur sapientia divina minus dignum habeamus, perfectionis moralis adjuvandae causa ad excolendam

the-



theoreticae cognitionis perfectionem auxilium conferre, hominesque institutione cujusvis generis ab erroribus avocatos, pedeminus vacillante ad summum ipsorum finem perducere? Religionem igitur solum revelationis argumentum esse, cum omnis generis doctrinam continere ea possit, nullo jure affirmatur.

Ut taceamus, quantum ab hujusmodi divina revelatione ad omnem nostram cognitionem defluat detrimenti, — quod quam parum liceat pauci aestimare, praestantissimo *Ch. Schmidii* libro nuperrime videmus monitum \*) — illud certe est observandum, duplici modo usitata revelationis definitione peccari, cum theoreticam cognitionis amplificationem non excludente, tum unicum verum illius argumentum, morale scilicet, non inferente. —

Cum igitur argumenti revelatione nobis tradendi neque forma neque materia ex criteriis internis dignosci possit, sed quid revelatum esse possit, plane pendeat a criterio illo externo, quo divinitus traditam esse doctrinam

\*) C. Chr. Erh. Schmid's *Moralphilos.* N. Ausg. S. 109.

doctrinam unice potest probari; et quia, quod verum sit et bonum et iustum doctrinae alicujus argumentum, criteriis quidem moralibus oporteat examinari, quod vero revelatam eam esse, facto tantum possit demonstrari; cum e contrario hac divinae originis nota justificatum argumentum, (quod ipsum potius omnis recti boni et justi criterium atque norma sit) ad moralium criteriorum normam explorare non liceat: — eo majora interest, magna cum severitate atque ea qua par est attentione principium examinare, quod unicum divinae originis certo cognoscendae criterium tradidit ea, quae adhuc floruit, revelationis disciplina.

#### *IV. De theoretico veritatem revelationis cognoscendi principio.*

*Revelatam* cum dicamus doctrinam eam, quae a Deo immediate tradita esse nota aliqua externa demonstratur, de hujus notae cognitione maxime necesse est, ut disquiramus.

Revelationis veritatem duplici modo possumus perspicere; a) aut ipsa  
B cogni-

cognitionis in mente origine, b) aut externo aliquo, cum interius orta cognitione conjuncto, facto. Revelatio autem cum fiat vel mediate vel immediate, haec diversa ejus distribuendae ratio diversam etiam ejus cognoscendae rationem adfert.

1. Subjectum revelationis immediatum, cui *ipsi* revelatio tribuitur, veritatem acceptae revelationis cognoscit a) vel ex ipso ejus ortu quod quidem duplici modo potest fieri  $\alpha$ ) vel immediate, si vel intuendo revelantem, vel nova revelatione, de veritate prioris revelationis certior fiat — quod utrumque (cum etiam posterioris revelationis criterium non adesset) plane est impossibile;  $\beta$ ) vel mediate, argumentando  $\alpha\alpha$ ) vel ex eo, quod hanc repraesentationem ipse non produxerit — quod quam incertum sit argumentum, ex eo statim adparet, quod opinio: se non ipsum esse hujus repraesentationis auctorem, nullo alio nititur fundamento, quam quod mentem suam in producenda ea efficacem fuisse, ipse nesciat; ab ignoratione autem ad id quod sit vel non sit concludere non valet;  $\beta\beta$ ) vel ex eo, quod hanc repraesentatio

tationem ipse produxisse non possit — quod, cum quid animi sui efficacia effici queat nequeatve haud sciat, et cum de eo, quod ipse non potuerit efficere, conclusio: a Deo id effectum esse, iterum manca sit atque illegitima, ipsum aequae est incertum. b) Alterum, perceptae revelationis veritatem cognoscendi, criterium ducet ab ipso externo aliquo facto seu eventu naturae, quo, hanc in mente sua ortam cognitionem divinitus ipsi suggestam esse, legitime videat adfirmari — quod criterium quomodo possit dijudicari, mox ostendamus.

2. Subjecta autem revelationis mediata, ad quae per alium quendam revelatio perferatur, traditae hujus institutionis divinam originem cum a) ex ipso ejus ortu, in alieni hominis mente facto, dijudicare non possint,  $\alpha$ ) alterius divinae in ipsorum animis operationis auxilio de eo debent evinci — sed cum ea ipsa nova esset revelatio, cujus veritas ulterius perscrutanda etiam aliam, haecque alteram, et sic in infinitum, supponat; adeoque stabiliendae fidei in hanc mediatam revelationem, alia immediata

opus sit, nullum inde certum criterium deducere possunt. Quodsi vero  $\beta$ ) ratiocinando sperent divinam ejus originem perspectam habituros, putantes nimirum, tantam scientiae aut sapientiae perfectionem revelantis apostoli vires superare — idem, quod supra fuit monitum, majori etiam jure ipsis potest obiici. b) Potissimum igitur eo redit de veritate revelationis argumentum, ut de divina ejus origine eventu aliquo naturae extraordinario edoceamur. Hujus igitur criterii examine (in primis cum ad phaenomena internae experientiae idem quod hic de phaenomenis externae dicitur, facile possit transferri) summa caussae conficitur; brevibus itaque illud instituiamus.

Naturae aliquem eventum extraordinarium a Deo immediate esse effectum, cognoscendum esset a) vel immediata intuitione, qua cum intuitu effectus caussae etiam efficientis intuitus esset conjungendus. Sed cum quamcunque caussam, qua talem, intueri plane sit impossibile, eaque praeterea in summo et infinito ente posita causa angustis nostri sensus terminis comprehendi non queat, hic divinae caus-

causalitatis cognoscendae modus per se tollitur. Unicum itaque id superest, ut b) mediate, ratiocinando, eam cognoscamus. Sed cum nullum aliud argumentationis nostrae fundamentum inveniamus, quam quod impossibile sit nobis, ejusmodi effectum ex viribus naturae explicare: facile apparet, quam parum certe id argumentum liceat concludere. Quid per naturae vires fieri queat nec ne, nunquam poterit mortalium quisquam definire, cum non nisi plane absoluta naturae cognitione fieri id possit. Argumentationem autem de eo, quod eventum aliquem ex legibus naturae nobis notis explicare non possimus, ad immediatam Dei causalitatem, non valere, supra jam fuit monitum.

Omne itaque, eventus cujusque extraordinarii, sive in externa sive in interna appareat experientia, tanquam immediata Dei causalitate effecti, criterium, incertum, dubium, insufficientem — adeoque cum unicum hoc sit, quo veritatem revelationis cognoscere possimus, criterium: disciplina, hoc principio superstructa, fundamento plane est destituta.

Quae alia fuerint in auxilium vocata argumenta, non est quod hic multis enumeremus, cum quatenus ad caput hujus caussae tendant ex ipsis hic propositis principiis refutari possint, quatenus ad eam non tendant, admodum exigua habeant vim, et vix sint philosopho digna. Plura de his alio loco commentaturus, pauca tantum haec addam.

Disciplinam revelationis adhuc pari successu ab adversariis impugnatam, quam a defensoribus obtentam fuisse, historia huius controversiae docet. Caussam, cur haec tam gravis tantaque animi contentione depugnata controversia adhuc anceps haereat, ex ipsa controversiae natura elucet; atque hac via dijudicatam eam unquam fore, omnino desperandum esse, dudum videtur ab ipsis dimicantibus cognitum, neque potest a quoquam perspecta litis natura negari. Sed cum neque credulitas, argumentorum defectum fide complens, neque audacia, argumentorum inopiam cum demonstratione contrarii confundens, neque in re tanti momenti indifferentismus illiberalis, philosopho conveniant, non potest non agnosci, quam sit necessaria nova caussae disquisitio, quae eo litem redu-

reducat, ut ab una alteraque parte dijudicetur. Cui voto, justo atque in ipsa veritatis veneratione fundato, num respondeat nova totius disciplinae instauratio nuperime facta, altera hujus Dissertatioais parte ostendere mihi est propositum!